

PALINODIAE
SIVE
REVOCA-
TIONES FABIANI
QUADRANTINI, CVM

tactus esset ex Lutherano Catholicus,
recitatae Braunsbergæ in Colle-
gio Societatis Iesu.

*Iussu & auctoritate Reuerendissimi & Illustriss.
Cardinalis Stanislai Hosij editæ.*

Adiuncta est Epistola eiusdem Cardinalis ad
Senatum Coloniensem.



COLONIAE,
Apud Maternum Cholinum.
M. D. LXXI.

Cum gratia & priuileg. Cas. Maiest.



REVEREN-
DO, EIDEMQVE
NOBILITATE ATQVE DOCTRI-
NA PRÆSTANTISSIMO HEROI, D. IO-
anni Egenolpho à Knoringen, Ca-
thedralium Ecclesiarum, Herbipo-
lensis ac Augustanæ Canonico, &c.
Domino suo perpetua obseruan-
tia colendo, Maternus
Cholinus

S. P. D.



*Um semper gratia agēda sunt Deo
Opt. Max. vir præstantissime, tum
eo nomine imprimis, quòd non mo-
dò Ecclesiam suam multorum in-
signium, & in fide constantium
doctorum iuuat doctrina, pieta-
te & auctoritate, sed etiam sæpenumero ad repri-
mendam hereticorum & schismaticorum insolentiam
mirabilia excitat exempla, quæ qui ex animo
volent se tanquam veræ Ecclesiæ membra Christo
capiti adiungere, sequantur ac imitentur. Id quem-*
A 2 admo-

REVOCATIO

PRIMA.

Qui fuerim, scitis: qui nunc
sim, fortasse scire cupitis.
Quamuis autem factis vtrum-
que sim testatus, quod ple-
risque vestrum obscurum non est: pro-
pter eos tamen, quibus vitæ meæ ratio
non satis est perspecta, paucis de vtroq;
differendum esse duxi. Fecit horum tem-
porum infœlicitas, vt in eos homines
puer inciderem, & inter eos æducarer,
qui Pauli monitorum obliti, dicentis: *Ad Gal. 1.*
Si quis aliud vobis Euangelizauerit, præ-
ter id, quod accepistis, Anathema sit:
longè diuersum ab eo docuerunt, quod
à sanctis nostris maioribus per longam
Episcoporum & Sacerdotum successio-
nē sibi per manus traditum acceperant.
Et quò facilius abducere discipulos post
se possent, fraudi suæ, nomen Euangelij
prætexentes, locis aliquot è scriptura
malè intellecta, vel in prauum sensum
detorta, productis, quod sentirent ipsi,
pulum & expressum Dei Verbum habe-
ri voluerunt. In hoc igitur hominum ge-

STANISLA-
 V S HOSIUS, CARDI-
 NALIS VVARMIENSIS, SE-
 NATVI CIVITATIS CO-
 loniēsis, S.



Euersus ad nos isthinc
 Ecclesiae nostrae Cano-
 nicus Iacobus Tymer-
 mannus, multa nobis
 narrauit de singulari
 vestra cura & vigilan-
 tia, qua priscam fidem
 & religionem in Ciuitate vestra tueri &
 conseruare studetis, tum quales vos gesse-
 ritis cum ingressum in eam, qui redibat
 Antuerpia, quendam haereticum cogno-
 uissetis, à quo meritò vobis metuendum
 existimabatis, ne quod cum Antuerpiæ
 tum alibi factum audimus & ingemisci-
 mus, apud vos quoque noui motus ali-
 qui per eum excitarentur. Credibile non
 est, quantam ex illius hoc sermone volu-
 ptatem acceperimus. Etenim quò maio-
 rem animo nostro perturbationem attu-
 lit